



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Michael. Baii Regii In S. Theolog. Profess. Acad.  
Lovaniensis, Ad Qvaestiones Philippi Marnixij  
Sanct-Aldegondi De Ecclesia Christi, & Sacramento Altaris  
Responsio**

**Bajus, Michael**

**Coloniae, 1579**

**VD16 B 930**

Quaestiones Philippi Marnixij Sanct-Aldegundi, de Ecclesia, & de  
Sacramento Altaris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30353**

QVAESTIO-  
NES PROPOSITAE  
per Philippum Marnixium  
Sanct-Aldegondum. 14. Octo-  
bris Anni 1577. his verbis:



*N* Ecclesia, eiusq; constitutiones, seu  
traditiones nullum habeant *κρίσιον*  
aliud, nisi consuetudinem eorum, qui  
se profitentur Romanam sectari reli-  
gionem, quam vocant catholicam?

*An hoc κρίσιον, si quod aliud est, constet pagina  
sacrae scripturae sola?*

*An patrum explanationibus &  
commentarijs?*

*An conciliorum decretis?*

*An pontificum Romanorum pla-  
citis?*

*An Scholasticorum pronuncia-  
tis?*

*An passim sequatur, ut ait Satyricus, coruostestā-  
lutoq;?*

*An Ecclesia tribuat auctoritatem verbo Dei, an po-  
tius verbum Dei Ecclesiae auctoritatem atque axi-  
oma conferat?*

*quorū, qua,  
& cuius au-  
thoritate  
& confirma-  
torum, seu  
approbato-  
rum?*

De verbis Sacramenti coenae  
Domini.

*An haec verba [Hoc est corpus meum] contineant  
propositionem identicam, atque idem significan-  
tem,*



rem, quod: corpus meum est corpus meum.

An vero attributum corporis, attribuatür subiecto significato per pronomen, hoc, tanquam diuerso a suo attributo? Et si attribuatür tanquam diuerso, an attribuatür substantiue, ita vt hæc verba (hoc est corpus meum) idem significant atque, hoc est substantialiter, vt ita dicam: corpus meum?

An potius attribuatür sacramentaliter, ita vt ea verba nihil aliud significant, nisi, hoc est sacramentaliter corpus meum, seu corpus meum dicitur de hoc, quod vobis do, plane vt sacramenta dicuntur de rebus quas significant, & sua institutione demonstrant, quemadmodum Augustinus in libello de doctrina Christiana docet. sacramentum fidei, fidem esse; & sacramentum corporis, corpus, & sacramentum fœderis, fœdus, & sacramentum verbi Dei, ipsissimum verbum Dei, non quidem substantia, sed vsu, institutione, representatione, ac significantissima exhibitione ante oculos fider?

Quo argumento doceatur vocem, est, in hac circumstantia significare substantialitatem? liceat enim ita loqui.

An hoc ipso argumento tanquam uicium non possit formari certa atque indubitata ratiocinatio per propositionem generalem, quo argumenti vis possit & rectius intelligi, & certius iudicari?

Exempli gratia.

Vbicunque vocula, est, coniungit prædicatum cum subiecto in hac vel in eiusmodi circumstantia, toties accipitur substantiue, &c. in hac propositione



ne vocula, est, coniungit predicatum corporis,  
cum subiecto pronominis demonstratiui, hoc, &c.  
ergo, &c.

An explicatio horum verborum debeat aut possit a-  
liunde sumi, quam ex ipsis Christi aut Euange-  
listarum verbis?

An illa propositio de calice; hoc poculum est nouum  
testamentum, seu fœdus (δίαθήκη enim vtrunque  
hic significat, vt Hebræis, Berith) in meo sanguine;  
& illa, hic est sanguis noui testamenti, non idem  
significent, & se mutuo significanter explicent?

Ac proinde an non penitus eadem sit ratio in pane,  
vt hæc præpositiones; hic panis est nouum testamen-  
tum, seu fœdus in meo corpore, & hoc est corpus  
meum: & item, hic panis, quem frangimus, est  
νοῦνον τοῦ σώματος Christi: & hic panis, quem fran-  
gimus, est corpus Christi, idem significant, & se  
mutuo significanter explicent?

Item an pronomen, hoc, aliud significet, quam idip-  
sum quod vno ore omnes Euangelistæ testantur  
Christum accepisse, fregisse, dedisse discipulis, &  
iussisse vt acciperent & comederent?

An Paulus primæ Corinthiorum decimo, cum hunc  
panem nominat, & panem quem frangimus diser-  
te explicat, aliud sacramenti subiectum statuat,  
atque Christus, vel ipse Paulus 1. Corin. 11. pro-  
nomine, hoc, vult significari, quod omnes Euange-  
listæ testantur, fuisse panem, quem Christus fre-  
git, & dedit, & de quo denique locutus est?

An in propositione de calice, non eadem sit subiecti  
ratio, atque in ea, quæ est de pane, ac proinde cum  
subiectum in propositione, & oratione de calice



non solum demonstratur pronomine, hoc, sed plane & discrete nominetur τὸ τοῦ πατρῖου, vel fructus ac genimen vitis, non eadem sit ratio in pronomine, hoc, quod usurpatur in propositione de pane, ita ut, hoc, idem significet, quod hic panis, vel hic fructus tritici de multis coadunatus granis?

Si subiectum positum in hac propositione, hoc est corpus meum, mutetur, vel mutatum fuit a subiecto panis, quod Euangelistae testantur Christum accepisse, fregisse, & dedisse, quando mutatum fuit, qua vi, quo Domini mandato, quo diuini verbi argumento?

Quae sit analogia vnionis corporis Christi cum ecclesia, declarata prima Corinth. decimo, si nulla est panis vel vini reliqua substantia?

Quomodo veteres docuerunt eandem aut similem esse transformationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, qualis erat aqua admixta vino in populum Christi, eius corpori per fidem conglutinatam?

RE